



Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &
heriditarias quasi successiones

Epo, Boetius

Duaci, M.D.LXXXIIX.

38 Argumentum Capituli Quæsitum. derer. permut.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

Urbanus III.

Quæsitum est ex parte tua, si commutationes fieri valeant prabendarum; cum commutatio dignitarum in Turonensi concilio fuerit interdicta. Sunt enim quidam qui prabenda sua cedunt, & iuri renunciant, vt maiorem prabendam obtineant, vel hoc certam summam pecunia consequantur. quod eisdem honestati est contrarium, & simoniacam proculdubio continet prauitatem. Generaliter itaque teneas, quod commutationes prabendarum de iure fieri non possunt, præsertim cum pacto præmissa, qua circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem continet semper simonie. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licet poterit in uno loco ad alium transferre personas: vt quæ vni loco minus sunt utiles, alibi se valeant vtilius exercere.

Urbanus hic Tertius vnico duntaxat intermedio Lucio 3. mox Alexandrum III. secutus est successor; qui quod ab Alexandro constitutum fuerat in illo Concilio Turonensi paulò superius memorato de non permutandis dignitatibus ecclesiasticis, id ipsum generaliter de Præbendis vel beneficiis omnibus ecclesiasticis (præsertim pacto præmissa) permutandis constituit: permittens tamen Episcopis potestate transferendi personas ecclesiasticas in alium locum si causa subsit idonea. Præfuit autem Urbanus is Apostolicæ sedi ante annos iam præcise quadringentos, cum Synodus illa Turonensis viginti circiter annis antè fuisset celebrata,

38

*Argumentum
huius Capit.*

39

Tempus.